

1168, desembre, 19

*Berenguer Agustí firma debitori a Bonastruc de Torre, jueu, de 60 sous, pels quals li empenyora una vinya situada a Vila-roja.*

ASD núm. 33, perg. oi:ig., 135 x 170 mm.

Sit notum cunctis quoniam ego Berengarius qui uocor Augustinus et uxor mea Ollera debemus paccare tibi Bonastrugo hebreo de Turri et tuis ab istis primis Carnibus ablatis modo uenientibus ad alias .LX. solidos denariorum barchinonensium sine ullo allongamento. Si uero ad istud terminum non paccauerimus tibi illos .LX. solidos, uel si moneta mutata aut peiorata fuerit, morabatinis boní auri et recti pensi ad cambium .VII. solidorum minus .m. denariis damus tibi et tuis in returno illam nostram uineam quam habemus ad uillam Rubeam, sicut habetur et continetur cum omnibus suis affrontationibus et cum ómnibus arboribus qui ibi sunt, quam habeo cum socero meo Guilielmo Augustini, totam ah integrum cum ipso boscho, ut habeas et teneas eam atque espletes ipsam totam donec reddamus tibi uel tuis predictos .LX. solidos, sicut superius scriptum est. Et non liceat eam nobis redimere nisi ab unis Carnibus ablatis ad alias, et si euenerit te facere inde aliquam missionem siue in seniore siue in aliquo alio, totum habeas super ipsam uineam cum supradictis .LX. solidis donec totum reddemus tibi.

Actum est hoc .XIII. kalendas ianuarii anno .XXXII. regni Ludouici regis iunioris.

Sig+num Berengarii, qui hanc scripturam fieri iussi, firmaui firmarique rogauí. Sig+num Ollere, uxoris eius. Sig+num Guilielmi Augustini. Sig+num Corduane, filie sue. Sig+num Guilielmi Pedrerii. Sig+num Guilielmi Scuder. Sig+num Arnalli de Furno.

(s. *man.*) Leterius presbiter qui hoc rogatus scripsi cum litteris suprascriptis in .VII. linea et .VIII., die et ano quo supra.

Amb signatura hebrea a la part inferior.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 117-118